

specificatione nobis facta per idem capitulum Misnense nos factum praedecessoris nostri praefati ut praemittitur ratificavimus iuxta modum specificationis infra scriptae: XXV mansos eiusdem villae et unam tabernam registratam seu computatam pro dimidio manso, et XII hortos, de quibus mansis habet et possidet plebanus ibidem IIJ et hospitale in Misna tres, de reliquis vero mansis VI cum dimidio sunt feudales et residui censuales, qui omnes et singuli suo iure deserviunt capitulo Misnensi. De quibus mansis, hortis et taberna dantur praedicto capitulo Misnensi annui census octo talenta Fribergensis monetae, item XX modii avenae et ad quemlibet modium una mensura quae dicitur worfshufele et unus denarius Vribergensis, una cum villa praedicta capitulo praefato praedecessoris nostri memorati vestigiis inhaerentes in proprium dedimus, donavimus et tradidimus consensu nostri capituli accedente. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus una cum sigillo nostri supradicti capituli est appensum. Et nos Ernfridus dei gratia praepositus, Vrlicus decanus et capitulum ecclesiae Nuenburgensis huic scripto sigillum capituli nostri duximus apponendum in testimonium praemissorum. Acta sunt haec anno dom. M^o.CCC^o.XXIX in crastino beatae Elizabet.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 403. 1331. 21. Aug.

B. Heinrich zu Naumburg erneuert die in der vorstehenden Urkunde ausgesprochene Bestätigung.

In nomine domini amen. Henricus dei gratia Nuemburgensis ecclesiae episcopus. Pateat universis praesentes legentibus, quae pro veneratione conditoris altissimi fideliumque animarum salute per praedecessores nostros bonae recordationis cum maturitate debita facta reperimus, debemus utique et volumus piis motibus exequi ac efficacem eis operam ministrare. Igitur quia piae memoriae dominus Vrlicus quondam praedecessor noster, sicut constat nobis legitimis documentis et legalibus, proprietatem bonorum villae in Gröbere cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, ac ius patronatus ibidem, quae quidem bona tunc ad proprietatem ecclesiae Nuemburgensis spectantia Johannes et Wienandus de Herstein, quondam ecclesiae nostrae vasalli ab ecclesia nostra in feudum possederunt et capitulo ecclesiae Misnensis vendiderunt et liberaliter resignaverunt, capitulo et ecclesiae Misnensi canonice donavit, dedit et tradidit. Quorum bonorum possessionem quondam dominus Lutoldus dictae Misnensis ecclesiae decanus nomine capituli sui multis annis tenuit ecclesiamque ipsam pluries vacantem contulit virtute dictae proprietatis, donare pacifice et quiete nos ipsius praedecessoris nostri vestigiis pie inhaerentes, donationem proprietatis bonorum praescriptorum in Grobere et omnium iurium ac pertinentiarum eorundem ratam et gratam habentes, ipsam, sicut iuste et provide facta est, praesentis scripti patrocinio confirmamus, sigillum nostrum in testimonium apponentes. Actum et datum Cycae anno domini M^o.CCC^o. tricesimo primo feria IIII. ante Bartolomei apostoli.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem beschädigten Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.